



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. II. Solvuntur objectiones

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

primit perfectionem aut imperfectionem, convenientiam aut disconvenientiam, bonitatem vel malitiam, sed est purus respectus ad terminum sub ratione termini; quod adeo verum est, ut nequidem divinæ relationes, ex vi formalissimi conceptus ad perfectionem exprimant, ut in tractatu de Trinitate fusè ostendimus: At qui species moralitatis, quæ sunt bonitas & malitia, formalissimè exprimunt, illa perfectionem & convenientiam, hæc verò disconvenientiam & imperfectionem: Ergo neque earum species, neque earum genus possunt per relationem prædicamentalem constitui. Addo quod sæpè existit moralitas, absque eo quod objectum morale, quod est ejus terminus, à parte rei existat; ut cum quis appetit bonum vel malum possibile: Sed sine existentia termini non datur relatio prædicamentalis: Ergo relatio quæ actuum humanorum esse morale constituit, non est prædicamentalis, sed solum transcendentalis.

## §. II.

*Solvuntur objectiones.*

**C**ONTRA primam conclusionem objici possunt primò varia D. Thomæ testimonia, quibus hîc qu. 18. & sequentibus, sæpè asserit actum voluntatis esse moralem, in quantum est liber. Sed facillè respondetur, hæc debere intelligi in sensu causali, non verò formali, quia libertas est radix & fundamentum moralitatis, ut in prima parte conclusionis diximus: sicut quia rationalitas est radix risibilitatis, & albedo in pariete fundamentum relationis similitudinis, dicimus hominem in quantum rationalem esse risibilem, & parietem ut album esse similem. In eodem sensu accipiendum est id quod ait idem S. Doctor in 2. dist. 40. qu. 1. art. 1. nempe *interiores actus voluntatis dividi per bonum & malum, sicut per differentias essentielles*: nam solum vult bonum & malum, fundamentaliter & radicaliter sumpta, esse differentias essentielles actus voluntarij: quamvis enim bonitas & malitia moralis formaliter sumptæ, sint accidentia actuum humanorum, ipsi tamen actus voluntarij, ut tales & ex natura sua, fundant bonitatem & malitiam; in quo differunt ab artificialibus, quæ per suam substantiam non sunt radix, ex qua resultent diversæ formæ artificiales quibus differant, sed totaliter adveniunt ipsis ab extrinseco principio, & solum habent secundum suam substantiam, potentiam obedientialem respectu ipsarum: unde clavus & cultellus v. g. non distinguuntur essentialiter per esse clavem & cultellum, etiam radicaliter; sicut distinguuntur actus bonus & malus per, esse bonum & malum radicaliter.

**E**x his etiam facillè intelliges alia D. Thomæ testimonia, quibus ait actus voluntatis esse morales, in quantum procedunt à ratione, seu deliberatione rationis: nam vel particula *in quantum*, in sensu causali, non verò formali sumi debet: vel dicendum est, Divum Thomam non loqui de ratione præcisè proponente objectum cum indifferentia judicij, à qua actus voluntatis habet quòd sit liber, sed de ratione per synderesim & prudentiæ dictamen ordinante actum voluntatis in debitum finem, quomodo est regula moris: unde sic sumendo rationem, actus voluntatis sunt morales for-

maliter, in quantum ab ea procedunt.

**O**bjiciunt secundò contra eandem conclusionem. Positâ in actu libertate, & præcisè omni alio, actus est formaliter moralis: Ergo constituitur in esse moris per ipsam libertatem. Consequentia patet, Antecedens probatur: Tum quia positâ libertate actus est regulabilis per legem; moralitas autem ut sic, in nullo alio, nisi in hac regulabilitate, potest consistere: Tum etiam quia positâ libertate, ponitur principalis proprietas moralitatis in communi, quæ est imputabilitas; nam actus imputatur, vel est imputabilis, præcisè ex eo quod est sub dominio & potestate causæ; est autem sub ejus dominio & potestate, in quantum liber formaliter: Ergo &c.

**C**onfirmatur: Nihil fingi potest, quod sit genericum & commune speciebus moralitatis, nempe bonitati & malitiæ, nisi ipsa ratio liberi; nec enim aliquid est determinabile per bonum & malum, nisi ratio liberi: Ergo illa est genus moralitatis.

**A**d objectionem respondeo, negando Antecedens. Ad cujus primam probationem, nego Minorem: moralitas enim non est ipsa regulabilitas per principia moralia, sed subjectio actualis ad hujusmodi principia, sive regulas moris; regulabilitas verò est sola capacitas ad recipiendam hujusmodi subjectiorem, quæ capacitas eadem esset, etsi nulla extaret regula morum. Enimverò ita se habet, proportionaliter tamen, esse morale, sicut esse artificiale: esse autem artificiale non consistit in regulabilitate per principia artis; quia hæc regulabilitas convenit rebus ante omnem artem per suam substantiam, sed consistit in habitudine per modum actualis subjectiõnis ad regulas sive principia artis, quæ subjectio supponit prædictam capacitatem sive regulabilitatem: similiter esse morale non consistit in regulabilitate per principia moris, sed in actuali subjectiõne ad hujusmodi principia.

**A**d secundam probationem Antecedentis dicendum est, imputabilitatem quantum ad esse immediatè sequi ad libertatem; quia ex eo quod actus est liber, potest poni vel non poni in esse: imputabilitatem verò ad condignitatem laudis vel vituperij, quæ est proprietas moralitatis in communi, non sequi nisi ad subjectiõnem actus ad regulas morum, secundum quod est illis conformis vel difformis; nam lege deficiente, nec actus imputatur, nec punitur, quia *ubi non est lex, nec prævaricatio*. Unde quando dicitur, quòd actus est imputabilis præcisè ex eo quod est sub dominio vel potestate causæ, distinguendum est: est imputabilis quantum ad esse, concedo: quantum ad condignitatem laudis aut vituperij, nego. Vel aliter distingui potest eadem propositio, & concedi de potestate & dominio subjecto regulis & legi, & negari de dominio regulis morum non subjecto: nec enim punitur aut præmiabitur actus dominij voluntatis, si non sit lex aut regula, juxta quam, vel contra quam faciat.

**A**d confirmationem nego Antecedens: potest enim assignari aliquid commune speciebus moralitatis, seu bonitati & malitiæ, scilicet respectus ad objectum, ut cadit sub ordine & regulis rationis, sive per conformitatem, sive per difformitatem: siquidem tam difformitas quam conformitas in actu, sive tam bonitas quam ma-

licia moralis, respectum important ad objectum talibus regulis subiectum; unde in tali respectu, à conformitate vel difformitate abstracte, & per differentias illas boni & mali moralis constitutivas contrahibili, consistit ratio generica moralitatis; non verò in ipsa libertate, quæ solum se habet per modum radicis & fundamenti moralitatis, aut per modum materia regulabilis, & dirigibilis à regulis morum, seu potius ut conditio se tenens ex parte materia moralis: sicut in artificialibus res externæ, ut lapides, & ligna, se habent ut materia regulabilis per artem. Quare sicut in artefactis hæc tria distinguntur, scilicet materia regulabilis, regulæ artis, & forma ipsa artificiosa, quæ est per conformitatem ad huiusmodi regulas: ita in moralibus hæc tria debent distingui, nimirum regulæ morum, quæ sunt recta ratio & lex, præsertim divina; subiectio sive ordo ad huiusmodi regulas, qui est ratio formalis constitutiva moralitatis; & materia regulabilis, quæ nulla alia est, quàm ipsi actus liberi voluntatis, qui cum sint indifferentes ut bene vel malè fiant, possunt & debent subijci regulis morum, & ab ipsis dirigi & regulari.

18. Objicies tertio contra secundam conclusionem: Moralitas actuum humanorum sumitur ab aliquo extrinseco, nempe à libertate, vel à lege, aut ab objecto in quod tendunt: Ergo consistit in denominatione extrinseca, non verò in aliqua forma intrinseca.

Confirmatur: Moralitas in objectis non est aliquid intrinsecum, sed vel est ens rationis, vel extrinseca denominatio: Ergo etiam in actibus; illi siquidem debent proportionari objectis.

Confirmatur amplius: Esse morale in aliis rebus, v. g. in valore monetarum, in dominio rerum, aut pretio rerum venalium, est pura denominatio extrinseca, aut merum ens rationis: Ergo & in actibus humanis; nulla enim potest assignari ratio discriminis.

19. Ad objectionem respondeo negando Antecedens: nam actus humani non denominantur morales immediatè à libertate, aut à lege, vel ab objecto, sed ab ordine ad objectum, ut regulis morum subiectum, qui ordo est ipsis intrinsecus, ut patet ex supra dictis.

20. Dices, ordinem illum non semper esse realem, sed interdum esse solum respectum rationis: Ergo si ab illo ordine actus humani dicuntur morales, denominatio moralis in actu humano sumeretur ab aliquo ente rationis. Consequentia patet, Antecedens probatur. Ordo realis debet esse ad terminum realem, ac realiter existentem: Sed actus humani non semper dicunt ordinem ad objectum reale, & realiter existens, ut patet cum aliquis appetit res futuras, aut impossibiles: Ergo ordo actuum humanorum ad objectum non semper est realis.

21. Respondeo negando Antecedens, Ad cuius probationem dicendum, quòd licet ordo prædicamentalis requiratur terminum existentem, transcendentalis tamen potest versari circa non existens, & circa non entia; ut constat in Logica, quæ licet sit scientia realis, versatur tamen circa secundas intentiones, quæ in objectis nihil reale ponunt: item dignitates & honores, jurisdictionem, præcedentiam, & alia similia realibus actibus desideramus, & ambimus, & tamen non sunt nisi denominationes rationis.

Tom. III.

A Unde patet responsio ad primam confirmationem: esto enim in objecto esse morale sit ens rationis, vel extrinseca denominatio (de quo infra) habitudo tamen ad illud, subindeque moralitas formalis, potest & debet esse realis, & intrinseca. Neque inter actum & objectum requiritur proportio in esse rei (habitus enim Logice, ut dicebamus, est intellectui intrinsecus & realis, & tamen eius objectum est ens rationis) sed sufficit proportio in ratione attingentis & attingibilis, quæ optimè salvatur, etiam si objectum sit denominatio extrinseca, vel ens rationis, & licet habitudo ad illud terminata, sit realis & intrinseca. Patet etiam solutio ad secundam confirmationem, & disparitas inter esse morale monetæ v. g. & esse morale actuum humanorum: valor enim monetæ, & pretium rerum venalium, directè & immediatè à voluntate vel intellectu humano sumitur; moralitas autem actuum humanorum, licet leges divinas & humanas supponat, ab illis tamen immediatè non sumitur, sed ab ordine transcendentali, quem huiusmodi actus dicunt ad objectum, ut regulis morum subiectum, qui ordo est realis, & illis intrinsecus.

Objicies quartò: Idem numero actus sine aliqua reali mutatione potest fieri de bono malus, imò & de non morali moralis: Ergo moralitas non est aliquid reale & intrinsecum, sed ens rationis, aut extrinseca denominatio. Antecedens patet in esu carnum, continuato à feria quinta in feriam sextam, qui sine reali mutatione, propter extrinsecam mutationem temporis, efficitur malus; & in motu primo, qui si continuatur, advertente ratione, de non morali fit moralis, sicut de non libero liber. Consequentia verò probatur: tum quia esse reale non supervenit sine mutatione reali: tum etiam exemplo dexteritatis in columna, quæ dexteritas non est in ea aliquid reale, sed denominatio extrinseca, quia sine aliqua reali mutatione fit de non dextera dextra.

D Respondeo negando Antecedens: quando enim actus mutatur de bono in malum, aut de non morali in moralem, mutatur intrinsecè in esse moris, quia tunc suscipit novum modum realem, seu novum respectum ad objectum, qui ordo actibus humanis realiter inhaeret, ut de relatione ad finem dicit D. Thomas hic art. 4. ad 2.

Objicies ultimò contra tertiam conclusionem: Moralitas actus consistit in habitudine ad objectum, vel ad rationem, tanquam ad mensuram: Sed habitudo mensurabilis ad mensuram est relatio prædicamentalis: Ergo moralitas actuum humanorum in relatione prædicamentali consistit.

E Respondeo concessâ Majori, distinguendo Minorem: habitudo mensurati ad mensuram est prædicamentalis, quando respicit terminum ut purè terminum, concedo Minorem: quando respicit terminum ut objectum specificativum sui, vel causativum, nego Minorem: unde cum habitudo ad objectum, in qua moralitas actu humanorum consistit, non respiciat illud ut purum terminum, sed ut specificativum & causam formalem extrinsecam, non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis. Quod ut magis percipiatur, Advertendum est, actus humanos & morales, duplicem habitudinem ad objectum regulis morum subiectum impor-

D d ij

tare; unam transcendentalem, quã illud ut A  
specificativum & causam formalem extrinsecam  
respicitur; aliam prædicamentalem, quæ  
idem objectum per modum puri termini &  
correlativi attingit: prima prius in objecto  
intelligitur, unde & fundat aliam quæ est præ-  
dicamentalis, & actum humanum in ratione  
moralis formaliter constituit. Sicut scientiæ du-  
plicem dicunt habitudinem ad objectum, unam  
transcendentalem, per quam specificantur;  
aliam prædicamentalem, quæ est mensurabilis  
ad mensuram, & ad tertium genus pertinet, ac  
priorem ut rationem fundandi præsupponit.

## §. III.

*Corollaria ex dictis.*

26. **E**X dictis colliges primò, specificativum for-  
male & immediatum moralitatis actuum hu-  
manorum, non esse legem, cui subduntur, sed  
objectum in quod tendunt, ut subditum legi, &  
ab ea propositum.

Probatum primò: Moralitas comparatur ad  
actum in esse physico, ut modus & perfectio ip-  
sius, ac proinde debet ipsi proportionari in mo-  
do specificandi, sicut ei proportionatur in modo  
essendi: Sed actus in esse physico specificatur ab  
objecto: Ergo & in esse moris; cum hoc tamen C  
discrimine, quòd in esse physico specificatur ab  
objecto, secundum suam naturalem bonitatem  
& convenientiam considerato; at in esse moris  
speciem desumit ab illo ut subiecto regulis mo-  
rum, & ut regulato per legem ac dictamen syn-  
deresis & prudentiæ ordinantis in finem. Unde  
D. Thomas hic art. 8. sic ait: *Actus omnis habet  
speciem ab objecto, & actus humanus quia dicitur  
moralis, habet speciem ab objecto relato ad prin-  
cipium actuum humanorum, quod est ratio.*

Probatum secundò: Actus moralis non respicit  
legem, nisi mediante objecto, sicut ipsa lex non  
aliter regulat actum, quàm proponendo obje-  
ctum prosequendum vel fugiendum, & licet di-  
ctet exercitium actus, totum tamen hoc est in  
ordine ad objectum, & per modum attingentiæ  
ipsius: Ergo id ad quod actus directè & imme-  
diatè terminatur, non est lex, sed objectum ut  
propositum per legem.

Tertiò: Idem actus secundum speciem respi-  
cit distinctas specie leges, puta furtum, divinam,  
naturalem, & humanam: Ergo non specificatur  
in esse moris à lege. Consequentia patet: quia  
res specificata non potest habere majorem uni-  
tatem, quàm ejus specificativum.

Denique probatur: Si actus moralis specifica-  
retur à lege, omnes actus qui respicerent ean-  
dem legem essent ejusdem speciei: Sed hoc est  
falsum: Ergo & illud. Major patet, Minor verò E  
probatum: quia restitutio & retentio rei alienæ,  
invito domino, quæ differunt specie in esse mo-  
ris, respiciunt eandem legem justitiæ, præci-  
pientem reddere unicuique quod suum est.

27. Dices, hoc argumentum etiam nos urgere:  
quia actus diversæ speciei in esse moris possunt  
esse circa idem objectum, sicut furtum & resti-  
tutio versantur circa rem alienam.

Respondetur actus diversæ speciei in esse  
moris, posse esse circa idem objectum materiali-  
ter solum, non verò formaliter; sicut possunt  
formaliter eandem legem respicere: unde fur-  
tum & restitutio respiciunt rem alienam sub di-

versa ratione formali; nam restitutio respicit  
eam ut non retinendam invito domino, furtum  
ut auferendam invito domino: at verò furtum &  
restitutio respiciunt prædictam legem, quatenus  
formaliter præcipit unicuique reddi quod suum  
est.

Colliges secundò, moralitatem quæ in ob-  
jecto actuum humanorum reperitur, & quæ ob-  
jectiva dicitur, non esse aliud quàm ipsamet  
entitatem objecti, ut connotat legem, cui sub-  
ditur tanquam regulæ & mensuræ ad terminan-  
dum actum.

Probatum: Eodem proportionali modo obje-  
ctum habet esse morale quo voluntas, quia  
principium & objectum actus moralis, sicut  
principium & finis, sibi correspondent: Sed esse  
morale in voluntate, non est aliud, quàm ejus  
entitas ut connotat legem, cui subditur in or-  
dine ad suam operationem eliciendam: Ergo  
eodem proportionali modo moralitas objecti  
non est aliud, quàm ipsamet ejus entitas, ut con-  
notat legem cui subditur &c.

Explicatur magis: Si voluntas consideretur  
secundum se, præcisa omni lege, solum intel-  
ligimus potentiam physicam, & principium  
actus liberi; accedente verò determinatione  
legis, absque alio superaddito, redditur princi-  
pium proximum moralitatis, ac proinde agens  
morale: Ergo similiter considerando objectum,  
secundum se, intelligitur ut objectum phy-  
sicum, terminans actum voluntarium & libe-  
rum; accedente verò lege, quæ præcipitur aut  
prohibetur, absque alio superaddito, constitui-  
tur proximum objectum morale, connotando  
legem, cui subest in ordine ad terminandum  
actum.

Quod potest amplius confirmari: Sicut vol-  
untas non est moralis in essendo, sed in ope-  
rando solum (non enim subest legi quòd vo-  
luntas sit, aut non sit, sed quòd tali aut tali mo-  
do operetur, aut non operetur) ita objectum ut  
sic non est morale in essendo, sed in terminando;  
nec de eo dicitur lex, in pluribus saltem, an de-  
beat esse vel non esse, sed an debeat talis aut  
talis actus ad ipsum terminari, aut non termina-  
ri: Ergo sicut moralitas voluntatis non est aliud  
quàm ejus entitas, ut in operando subest legi,  
ita moralitas objecti non erit aliud quàm ipsius  
entitas, ut subest legi terminando actum.

Quomodo verò entitas objecti, & volunta-  
tis, quæ secundum se non est intrinsecè mora-  
litas, possit rationem moralitatis intrinsecè ha-  
bere, absque additione alicujus intrinseci, per  
solam connotationem extrinsecam legis, facile  
intelliges, si consideres quòd relatio paternita-  
tis, quæ nato primo filio resultat in patre, eum  
etiam denominat patrem secundi filij, per so-  
lam extrinsecam illius connotationem. Simili-  
ter entitas materiæ primæ, connotando formam  
nondum habitam, sed possibilem haberi, est in-  
trinsecè appetitus desiderij; connotando verò  
formam præsentem, definit esse appetitus de-  
siderij, & fit appetitus complacentiæ. Item spe-  
cies Angeli repræsentant singularia, quando  
existunt, sine ulla intrinseca mutatione, hoc  
ipso quòd ea connotant ut in actu posita. Deni-  
que actus necessarius divinæ voluntatis habet  
intrinsecè rationem actus liberi, per solam con-  
notationem creaturarum, in aliqua determinata  
differentia temporis ponendarum. Horum au-  
tem omnium ratio est, quia sunt plures forme,